

ab initio accepisset. Quando ergo dicitur (inquit Lugo) hoc damnatum pensionum excessivum factum fuisse ex injusta emptione, distinguendum est: si emptionem damnatum illud ex emptione talis census precise prout abstrahit à justa & injusta: Ex injustitia autem circa diminutionem pretii commissa nullo modo sequitur damnatum pensionum solutarum, cum eadem pensiones solute fuissent, si ab initio pretium iustum datum fuisset: quare ex injustitia precise solum factum fuit damnatum carendi pretio integro per aliquod tempus. que dilatio si fuit damnosa, venit compensanda sub nomine *Interesse*. Totum hoc paucis verbis dixerat Pater Lessius: [Qui venditor non est fraudatus ex eo quod emptor pensiones percepit, (ut que ipsi erant debita ex valido contractu) sed quod iustum pretium non fuerit ei perfolutum.]

CONTROVERSIA VI.

Quanam Conditiones, vigore Bullæ Pij V. observanda sint in constitutione census.

SUMMARIUM.

AN constitutio Pii V. sit ubique recepta, & pro recepta habenda. 316.

An omnes conditiones in bulla requirite sint substantiales. 317.

An sine discrimine in omni censu constituendo conditiones debeant intervenire, ut valeat. 319.

EX Bullis Pontificum sup. allegatis colligitur, varias conditiones requiri, ut valeat emptio census, que paulo post ordine examinabuntur, quo sensu & rigore requirantur. Nunc adverto, Palam puncto 15. n. 1. enumerare solum 7. conditiones. verum constabit eas plures esse.

316. **Q**UÆRITUR autem ante omnia, an hæc Constitutiones Pontificæ, præsertim novissima Pii V. sit ubique recepta, & pro recepta habenda. Graves AA. volunt esse ubique pro recepta & obligatoria habendam, quos refert Palao p. 15. & Lugo testatur, ita observari in sacra Rota Romana, ubi Iudices non admittunt exceptionem de non recepta, vel abrogata prædicta Bulla. Non esse ubique receptam, nec obligatoriam, nisi quatenus recepta est, quoad conditiones illas, que non sunt juris naturalis aut divini, tradunt non pauciores DD. præsertim RR. ex juristis Salcedo, Diaz Emanuel, Gutierrez, Lafarre, Felicianus de Solis, Gasp. Rodrig. Gomes junior, Salas. Et hi quidem de Hispania loquuntur, idque probant ex eo, quod Rex Phi-

lipus II. supplicaverit Pontifici, quam supplicationem Pontifex non repulit, nec observationem ulterius urxit: quod sufficit, ut lex non obliget. De aliis vero provinciis, ut de Belgio, Gallia, Germania & Sicilia, testatur id ipsum Lessius c. 22. dub. 13. in quibus proinde, vim obligandi non habet. Nam omnes convenire debent (inquit Lugo) quod ubi prædicta Bulla ex consensu saltem interpretativo Summi Pontificis non est recepta, vel quoad aliqua est per usum contrarium legitime abrogata, non obliget nisi quoad conditiones jure naturæ requisitas, vel quoad eas que receptæ sunt.

317. **Q**UÆRITUR 2. An omnes conditiones in Bulla requirite sint substantiales, ita ut etiam in foro conscientie contractus censendus sit nullus, ex defectu cujuscumque conditionis assignate. Negat cum pluribus aliis P. Molina d. 392. ad eum, si modo fuerint observatæ conditiones jure naturæ requisitæ, in foro conscientie habendus sit pro valido, quamdiu per iudicis sententiam non declaratur nullus. Ratio horum AA. est, quia lex requirens hujusmodi solemnitates, v. gr. testes, notarium, scripturam, &c. fundatur in præsumptione fraudis & usuræ: ergo si contrahentibus constat, nullam fraudem intervenisse, poterunt bonâ conscientia contractum servare, & emptor pensiones recipere. Hanc sententiam vocat probabilem etiam Bonacina in sine quaestione. 4. de censibus.

318. **D**ICENDUM tamen est cum aliis, quos sequitur idem Bonacina, Lugo, Palao, omnes habendas esse pro substantiis, quia requiruntur ad formam contractus: ergo de illis philosophandum est, sicut de solemnitatibus requisitis ad valorem testamenti, de quibus suo loco actum est. Itaque non fundatur illa lex in præsumptione fallibili, fraudis forte intervenientis, in quovis particulari casu, sed in præsumptione moraliter infallibili mutuarum fraudum & usurarum, que fierent, nisi tales contractus penitus annullarentur: sicut clandestinum matrimonium nullum est, in legis, non fundatur in præsumptione fraudis in casu particulari, sed fraudum plurium eventurum, si non penitus annullaretur talis contractus, alioquin hujusmodi leges sunt elisorie, & effectum quem intendunt, non obtinent.

319. **Q**uæri potest 3. An sine discrimine in omni censu constituendo conditiones debeant intervenire, ut valeat. R. Solum in illis, in quibus contractus est utrinque onerosus, & ut iustitiam loquuntur, negotium seu synallagma continens, nam in his solis est periculum usuræ, non in illis qui titulo lucrativo constituuntur, ut donatione, & testamento.

Dixi supra, examinandas esse conditiones requisitas in Bulla Pii V. Nam licet alii Pon-

Contr. VI. De conditionibus requisitis.

tifices etiam de quibusdam conditionibus egissent, eorum tamen intentio fuit, illas conditiones explicare, que illis erant tanquam dubiæ propositæ, & quas declararent esse licitas, per quod non desinereat, eas esse necessarias hujusmodi conditiones octo recenset Lessius n. 75. Veniamus ergo ad Conditiones à Pio V. requisitas in Bulla supra recitata.

§. I.

Census est in re immobili, vel que pro immobili habetur, certa, & fructifera, constituendus.

SUMMARIUM.

IN prima conditione requiritur, ut in re immobili constitutur census, adeo que reprobatur census personalis tam purus quam mixtus. 320.

An possit census in censu constitui. 320.

Census in re immobili annumeratur immobilibus eod.

Quo sensu debeat census constitui in re certa & determinata. 321.

An sufficiat, rem esse frugiferam per accidens, & ex mera hominis industria. eod.

Verum pensiones solvendæ sint integre etiam illis annis quibus non adequatur à fructibus. 322. & seqq.

An census debeat constitui in re fructu illorum fructuum, qui pro pensione solvendi sunt. 324.

An quis possit alteri vendere censum ex re non sua, consentiente tamen domino. 325.

PER hanc conditionem reprobatur census personalis tam purus quam mixtus cum hypotheca conjunctus: quem supra dixi probabilius ipso jure naturæ esse illicitum, si cum aliis pensionum solvendarum excedat pretii summam, nec aliunde excusetur ab usura.

Ex eo quod possit census constitui in re que immobilibus annumeratur, controversatur, in hujusmodi sit census ipse, seu jus censuæ, ad eoque an Petrus habens jus census in fundo Pauli, possit in hoc jure suo constituere & vendere Sempronio censum alium, ita ut census in censu constituatur. Negant hoc posse fieri Molinæ, Vega. Alii, quos refert & sequitur Salas, affirmant. Hos AA. conciliat Card. de Lugo assertis, imprimis posse in censu irredimibili alium censum constitui: nam census irredimibilis indubitate inter immobilis computatur. In censu autem redimibilitate venditor se obligat, si hujus reflexi census venditor se obligat, easu quo prior census terminatur, quod volit censum constituere super alia re immobili fructifera. Post tamen P. Dicastillo n. 8. quod etiam valeret absque substitutione alterius

rei, ita tamen ut redemptio census à primo venditore exingueretur census censui superimpositus.

Quod autem jus census ex re immobili percipiendâ, annum recuret rebus immobilibus (scilicet quam etiam debita fundata in rebus mobilibus) habetur in Clement. Exivide Paradi §. cunque annui redditus. de P. §. lbi. Cunque annui redditus inter immobilis constantur à iure, &c. Quem tamen jam supra ad aliud intentum retulit.

Obijciunt aliqui. Census ipse non est frugifera: ergo non potest in censu constitui alius census. Respondet Azor, satis esse, quod mediate fundetur in re frugifera. Melius respondet P. Dicastillo negando minorem. Nam jus exigendi pensiones utique est frugiferum, cum ferat pensiones.

Circa id quod dicitur, debere rem esse certam & determinatam, seu certis fructibus designatam.

321. **Q**uæritur, qualem censum voluerit Pontifex excludere per has restrictiones. R. 1. Non voluisse excludere constitutionem census super rebus pluribus, modo illis essent, & sint determinatæ, nam quatenus fundantur in ius, possunt dici una res, sicut possunt dici unum patrimonium, una hereditas, &c. R. 2. Pontificem voluisse excludere censum constitutum in omnibus alienius persone bonis præsentibus & futuris: nam hujusmodi constitutio aliquo modo fieret, ut ipsa persona obligaretur in casum, quo præsentia omnia bona perirent, quia adhuc obligaretur ad solvendum censum ex bonis acquirendis. R. 3. Voluisse Pontificem etiam excludere constitutionem census in bonis omnibus præsentibus censuari seu venditoris, si sub terminis generalibus constitueretur, non designando aut enumerando res singulas, eo modo quo solent enumerari & designari quando venduntur aut locantur. Ratio erat, quia in hujusmodi generalibus terminis poterat timere periculum palliandi censum personalem. R. 4. Non censetur tamen prohibitus census super re determinata constitutus, ita tamen ut pro majore securitate cetera bona indeterminate & terminis generalibus hypothecarentur in eum finem, ut re evicta possit creditor ex reliquis bonis consequi interesse. Addit Lugo, etiam in eum finem servitutum hujusmodi hypothecam, ut re determinata forte non ferente sufficientes fructus eo anno, possit creditor ex ceteris bonis consequi fructus; de quo dubio, & contrarium videtur supponere Molinæ.

Circa illud quod census constituendus sit in re fructifera, quæri potest, an sufficiat, esse

frugiferam per accidens & ex mera hominis industria, ut est pecunia negotiationi exposita, literæ censuales ferentes interesse, &c. Negativa, sed debet esse frugifera ex natura sua. Ratio est, quia alioquin evaderet census personalis. Debet autem fructus ad minimum exquiri (deductis expensis) pensiones solvendas, alioquin quoad defectum degeneraret in census personalem, ut habet communis doctrina contra Sotium & Covarr. Sufficit tamen rem ferre fructus etiam non naturales, æquivalentes tamen naturalibus, ut solent ferre Molendina, Salina, Lapidicina, Domus locabiles, &c.

321. QUÆRITUR tamen 1. Utrum pensiones solvenda sint integra, etiam illis annis, quibus non adæquantur à fructibus. Certum autem est, quod est res ipsa non perierit, si tamen ita infrugifera reddita est, ut non possint amplius inde sperari fructus adæquantur pensiones, non minus censetur census extinguui, quam si res ipsa vel tota, vel quoad partem perierit: in effectu enim perinde est. Extra hanc destructionem, si casu fortuito, v. g. ob tempestatem malignam, &c. fructus aliquo anno non respondent pensionibus, an nihilominus pensio solvenda sit.

Negativam tanquam indubitam defendit P. Molina d. 390. claus. 4. Lessius dub. 12. clausul. eadem. Hi ergo dicunt, pactum adjectum, solvendum integras pensiones, etiam anno quo fructus per accidens non adæquant, esse nullum & irritum, ob verba Bullæ: [Conventiones, directæ aut indirecte obligantes ad casus fortuitos eum qui alias ex natura contractus non teneatur, nullo modo valere volumus.]

322. Affirmativa est communior & verior. quam aliis relatis sequuntur Salas, Rebelus, Valencia, Lugo, Dicastillo, Palao p. 16. n. 12. & teste Navaro observatur in praxi. Et quidem de iure naturæ consentit etiam ipse Molina. Quod autem nec verba Bullæ resaguntur, colligitur ex illis verbis: [qui alias ex natura contractus non teneatur.] Negandum proinde est, pactum hoc esse præter naturam contractus censuales pecuniarii; cum sit maximè secundum naturam illius huiusmodi determinata obligatio: nam hoc potest æquè cedere in lucrum venditoris, qui vi huius pacti non debet plus solvere, quando annus est excessivè fertilis, ubertate fructuum compensans alio anno, quod præterito anno defuit. Ratio à priori est, quia in censu non emittuntur ipsi fructus, sed jus reale percipiendi tantas pensiones singulis annis, dummodo res maneat frugifera, & spes sit, quod omnibus pensionibus computatis fructus etiam computati respondeant.

Per clausulam ergo allatam voluit Pontifex improbare pacta assecurationis census

etiam casu quo res censui subiecta periret, quæ pacta sunt naturæ huius contractus extranea.

Sed contra hoc replicat P. Molina: quod hac ratione clausula evaderet inanis, & inutilis repetitio ejusdem prohibitionis: nam inferius subjicit Pontifex peculiarem clausulam, quæ annullat pacta, quibus debitor census obligatur ad casus fortuitos circa rem in qua census collocatur. Respondet benè Lugo negando sequela. Nam in posteriore clausula non prohibentur pacta circa casus fortuitos, sed solum declaratur id, quod ex natura contractus census realis consequitur, quod scilicet, perente re censu tota vel quoad partem, debeat etiam perire census cum debita proportionem. Porro, quia Contractantes possent fortè apponere pactum ad assecrandum censum etiam pro casu quo res fortuito periret, arbitrantur huiusmodi contractum assecurationis distinctum, addito sufficienti pretio ex natura rei licitum, ideo Pontifex in clausula relata voluit huiusmodi pacta ad casus fortuitos prohibere, ad quos ex natura contractus non esset obligatio: quæ prohibitio in clausula subsequente non satis clarè contenta videretur; sicut nec econtra in priorè clausula continetur, quod re perente percat census, ut notat Palao.

324. QUÆRITUR 2. An Censu debeat constitui in re feraci illorum fructuum, qui pro pensione solvendi sunt. Affirmant aliqui. Sed communissimè id negatur esse necesse, nec iure naturæ, nec vigore Bullæ. Vnde nisi lex aliqua municipalis obstat, poterit in vinea constitui census, ut pensiones solvantur in tritico. Ratio est, quia potest pensio reduci ad certam portionem pecuniæ solvendam: ergo etiam ad certam quantitatem fructuum alienarum speciei, quam cuius ferax est res censita. De lure positivo probatur inde, quia verba aliud non requirunt, nec ad scopum & finem legis interest, in quibus fructibus solvatur: ergo, cum lex sit exorbitans, non est in alio rigore accipienda.

325. QUÆRITUR 3. An quis possit alteri vendere censum ex re non sua, consentiente tamen Domino. Negativa, nam res ipsa obligari utique potest consensu Domini, quo tamen casu venditor tenetur pensiones solvere, quamdiu res illa salva & frugifera permanet: ex quo apparet, talem censum non esse personalem propriè loquendo. Quod si sine consensu Domini constitueretur, tunc venditor teneretur de evizione, si emptor ignoravit esse alienam, aut in capax talis obligationis, ut si esset fideicommissum. Si verò scivit, tunc quidem venditor non tenetur de evizione, tenetur tamen vel censum constitutur in re aliqua propria, vel certè reditus seu interesse solvere, non quidem titulo Censu, sed ratione pretii non restituti,

tuti, quæ omnia constant ex dictis cap. præced. de Contractu Emptionis.

§. II.

Emendus est Censu pecuniæ numeratæ, præsentibus rebus & Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non prius, recepto integro iusto pretio.

SUMMARIUM.

Secunda Conditiõ requisita est, ut ematur census pecuniæ numeratæ, & integro pretio soluto, quod tamen non est de iure naturæ. 326.

An valeret, si loco pecuniæ alia res pro pretio solveretur. 327.

An possit, etiam iure Pontificio, constitui census auctoritate Iudicis. 328.

An pecunia in presenti numeranda sit, etiam tunc quando Censu jam semel constitutus venditur. 329.

An non obstante Bulla possit Creditor in Emptione Censu adicere pactum, ut debitor statim acceptæ pecuniæ per ejusdem redditionem extinguat debitum præsens. eod.

Ratio sic statuendi erat, ut occurreret fraudibus Emptorum, & damno Vendorum, qui ob necessitates præsentis facile adigebantur ad vendendum censum, nullâ pecuniâ acceptâ, sed mercibus quibus non indigebant, & quidem pretio summo: & forte accipiebant solam partem pretii, cum tamen pensiones integre solvenda essent: aliquando etiam debitores adigebantur ad vendendum censum pro debito, unde fiebat, ut pauperes ad extrema deducerentur.

326. QUÆRITUR tamen, an hoc, quod integro pretio in presenti soluto emendus sit census, sit de iure naturæ. Affirmant multi, quos refert & sequitur Salas. Sed alii communis, & verius negant, quos referunt, & sequuntur Dicastillo & Lugo. Ratio est, quia in prædiorum emptionibus potest pretium non actu solvi, sed pro credito apud emptorem manere, & tamen fructus ad emptorem pertinebunt: Ergo etiam possit fructus censuales percipere, etiam si pretium non esset solutum, si hoc fieret sine fraude, & damno Vendoris; quidni enim possit huic aliquando æquè gratum esse, pecuniâ manere apud debitorem, & emptorem, quando illa de presenti non indiget, quam apud se esse fore periculum expositam, & nihil fructificantem: Ex quo facile solvantur argumenta contraria, quæ fundantur in presenti necessitate vendentis, quod non est universaliter necessarium, nec de iure naturæ est, absque hac necessitate non posse constitui censum.

Christ. Hann. de Just. Tom. IV. equi

Præterea non est necesse de iure naturæ, ut pensio solvatur proportionata pretio accepto, satis enim est, si sit proportionata pretio solvendo, si venditoris non interest, actu solvi. Quare, ubi Bulla non est recepta, talis census valeret, si bonâ fide, & absque læsione venditoris constitueret, sicut, si gratis & sine pretio constitueret, prout possit.

327. QUÆRITUR 2. An invalidus esset contractus, si loco pecuniæ alia res, v. g. massa argenti, pro pretio solveretur. Et primo quidem quid sit de iure naturæ: deinde quid de iure Pontificio.

De iure naturæ aliqui distinguunt, & concedunt, si massa argenti, &c. æstimata traderetur, talis enim æstimatio faceret venditionem: secus, si in æstimata, quia tunc esset permutatio, & non emptio. Dicendum tamen est cum communi DD. sufficere, & valitum talem permutacionem, quia non est de conceptu census, ut fiat venditione: nec apparet ulla repugnantia, cur non potuisset census constitui, antequam erat usus pecuniæ, & omnia permutacionibus agebantur.

De iure Pontificio tres sunt sententia. Prima vult valere, (si reverâ abist fraudis) in utroque foro. Quia lex fundatur in presumptione fraudis. Hoc fundamentum jam supra præsumptum est, & ostensum, legem non fundari in presumptione fraudis in quocunque casu particulari. Secunda sententia vult valere in foro conscientia, non in foro externo, quare quomodi non damnaretur à Iudice, possent contrahentes sine peccato solvere & accipere pensiones. Auctores referunt Lugo n. 83. & Diana, tom. 1. de Contr. resol. 44.

Tertia, & vera sententia docet, in utroque foro contractum esse nullum, quia Pontifex declarat nullos, & irritos huiusmodi contractus. & quia alioquin non satis occurreret fraudibus. Itâ plures, quos sequitur Salas, Lugo, Palao.

328. QUÆRITUR 3. An possit, etiam iure Pontificio inspecto, constitui Censu auctoritate Iudicis, condemnantis morosum debitorem, ut in penam contumacia sit obligatus solvere singulis annis certum censum, donec debitum solvat. Negat Palao: quia Pontifex pro omni censu de novo crediti constitutione pecuniam numeratam requisivit: & hoc ait latè probari à Feliciano de Censibus lib. 2. c. 5. n. 11. Affirmant tamen Molina & Lugo, volentes, Bullam accipiendam esse solum de censibus ex contractu, non de illis qui iustâ sententiâ constituuntur, sicut nec de illis, qui creantur testamento, vel donatione. Porro, si iudex hoc faceret, melius conatione, suleret creditor, quam si debitorem præcisè condemnaret ad interesse ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, nam tunc haberet obligatorem.

ligationem probandi damnum emergens, & lucrum cessans.

329. **QUÆRITUR** 4. An hæc conditio pecuniæ in præsentem numeranda, etiam requiratur, si census jam semel constitutus venditur. Negat cum quibusdam à se relatis Salas *aub. 8. in fine*. Sed isti AA. non videntur attendisse ad verba Bullæ, quæ habentur prope finem, ubi omnes conditiones requiruntur observandæ: *Nedum in casu noviter creando, verum etiam in creato quocunque tempore alienando, modo post publicationem constitutionis creatæ sit, perpetuâ, & in omnibus servari volumus.* Ergo ubi Bulla est recepta, est etiam hæc conditio in tali casu observanda, ut supponunt Lugo, Molina, Palao. Aliud est dicendum de extinctione census, de qua non loquitur Bulla, nec est causa requirendi pecuniæ numerationem, quia in extinctione non imminet periculum usuræ, sicut in creatione.

QUÆRITUR 5. An non obstante Bullâ, possit creditor in emptione Censûs adijcere pactum, ut debitor statim acceptâ pecuniâ per ejusdem redditionem extinguat debitum præcedens. Ratio dubitandi est, quia videretur satisfieri rigori verborum Bullæ, quia pecunia verè numeraretur, & ita sentit P. Molina d. 390. n. 2. Quem tamen Auctorem merito refutat Lugo (quamvis dicat se dubitare) quia hujusmodi pactum est contra intentionem Pontificis, volentis, ut pecunia numeretur venditori, & ita ejus fiat, ut habeat liberum illius usum: atqui tali pacto restringeretur ad unum actum, nempe ad extinctionem debiti. Etæ quidem, si tale pactum valeret, ad quid prohiberetur, ne ex debito præcedente census constitueretur? Posset enim facile creditor sibi pecuniâ cum pacto statim recipiendi: quod in effectu idem esset, ac si census emerit ex debito præcedente, quod expressè prohibetur. Hinc ego non video, quomodo Lugo addat, facilius fore doctrinam Molinæ locum habere posse, si non apponeretur tale pactum in ipso contractu censuali, sed antecederet debitor se obligaret ad solvendum Creditori debitum, si postea idem creditor pecuniâ præfenti censum ab eo emerit: [Postea enim (inquit Lugo) si creditor alio contractu seorsim, & omnino independenti, pretio præfenti censum emerit, hoc secundo contractu verè poneret pretium in pleno dominio, & potestate venditoris, quantum ex vi istius contractûs, licet ex pacto antecedente debitor obligatus esset ad solvendum illi debitum præcedens.] Itaque quidem Lugo. Sed non quid redit argumentum, quo Lugo Molinam pericit? nunquid hæc ratio facile esset creditori præmittere hujusmodi pactum, & tunc in effectu idem esset, ac si ex debito emerit census? nunquid tale pactum præcedens restringeret liberum usum pecuniæ? uno verbo, nunquid esset manifestè in fraudem legis? Nul- lum ergo mihi dubium est, quòd, esto contractus

celebratus esset validus, tamen venditori daretur exceptio doli, ut non cogereetur, nec cogi posset ad standum illi pacto. Et forè P. Molina plus non voluit: nec enim absolute approbat valorem talis pacti, sed solum dicit, quòd non au- deret Contractum damnare tanquam invalidum. Sicut etiam paulò antè dixerat, quòd non au- deret damnare, si pecunia traderetur in præsentia Notarii & Testium, quæ tamen priùs in eorum absentia fuisset numerata: & quidem in utroque foro putat valiturum: quòd ego non ausim alle- gere, quia verba Pontificis sunt nimis aperta, quibus requiritur, ut non fuerit priùs numera- ta.

§. III.

Non valet pactum faciendæ solutionis anticipatæ pensionum: aut obligans ad casus fortuitos.

SUMMARIUM.

Tertia conditio, ne valeat pactum anticipatæ solutionis pensionum faciendæ, aut obligans ad casus fortuitos: quomodo intelligenda. 330.

330. **H**anc clausulam Molina, Testius, alique intelligunt de anticipatâ solutione in pactum deductâ, quâ venditor cogereetur solve- re pensionem, v. g. primi anni statim post pretium numeratum, ita ut illam emptor deträhre posset: unde etiam non valeret, si pactum esset, ut post 4. menses à tempore emptionis solveretur pensio integri anni. Hoc sensu est hæc con- ditio de iure nature, ut patet ex dictis. Nam, in effectu, hoc non esset numerari totum pretium ad liberum usum venditoris, nec servaretur illa proportio, quæ ad iustitiam hujus contractûs requiritur, quia exigereetur pensio integra pro anno non integro.

Cæterum, non est anticipatâ solutio hic prohibita, si pars pensionis solvatur pro parte anni elapsi, v. g. dimidia pensio, elapso anni dimidio. Nam est, nullo interveniente pacto, solum sit obligatio ad finem anni, solet tamen sepe fieri pactum, ut certo tempore elapso certa & proportio- naria pars pensionis solvatur. In qua solutio- ne non attenditur ad tempus fructuum, sed solum ad temporis lapsum, & proportionem mathe- maticam, sive eo tempore serantur fructus, sive non.

Quoad pacta obligantia ad casus fortuitos illa solum prohibentur, quæ non insunt ex natura hujus contractûs. hujusmodi esse patet à P. Molina, si se obligaret venditor ad solvendas integras pensiones, etiam casu, quo fructus essent per accidens minores. Sed de hoc actum est supra, & dictum, hujusmodi pactum non esse præter

præter naturam contractûs. Alia pacta extra- nea & in Bulla prohibita legenda sunt in ipsa Bulla, nec indigent declaratione. Quia verò non sunt de iure nature illicita, ideo nec ubique recepta.

§. IV.

In alienatione Censualis rei præferendus est Censualista.

SUMMARIUM.

Quarta conditio, ut in alienatione rei censualis præferatur Censualista, an præjudicet Iuri Re- tractûs. 331.

331. **Q**uamvis in Bulla prohibeantur pacta de non alienanda re censuali, & de solven- do laudemio, nihilominus præcipitur Venditori, ut ante omnes alios offerat rem emendam Cen- sualista; hoc tamen non requiritur ad valorem venditionis. Imò non obligat ad præferendum Censualistam aliis, v. g. cognatis, qui ex iure communi gaudent iure prælationis. neque enim Pontifex voluit favere Emptori Censualiste cum præiudicio favoram jam antè lege communi- alius concessorum.

§. V.

Re Censuali percunte, vel infructuosâ effe- ctâ, census prorata perit.

SUMMARIUM.

Quintâ conditione improbatum pactum assura- tionis, quod iure nature non esset prohibi- tum. 331.

An infructuositas superveniens debeat esse perpetua ex natura rei. 332.

An restantibus partibus fructiferis sufficientibus ad solvendum censum, debeat census integer. 333.

Resortio Rotæ Romanæ. 334.

Si fundus censualis divideretur inter plures Dominos, an Censualista possit à singulis exigere censum totum. 335.

Si res pereat, aut fructuosâ fiat culpa venditoris, quid Iuris competat Censualista. 336.

Si res pereat quidem, v. g. domus corruiat, sed alia in eadem area edificetur, an sit censui subiecta. 337.

Quâ conditione improbatum pactum assura- tionis, quod alioquin iure nature non esset prohibitum de solvendo censu, etiam percunte, dummodo non degeneraret in censum perlonalem, & augetur pretium. Ob periculum *Christi. Flav. de Just. Tom. 1 P.*

tamen aliquod usuræ voluit Pontifex hoc pactum improbare.

332. **QUÆRITUR** 1. An infructuo- sitas superveniens debeat esse perpetua ex natura rei? Affirmative. Vnde non sufficeret, si v. g. per inun dationem ad paucos annos fuisset red- dita infructifera, dummodo postea iterum fructife- ra evadat: adhuc enim integre pensiones sol- vendæ essent, ut deducitur ex supra dictis.

333. **QUÆRITUR** 2. Utrum si una pars rei censualis reddita esset infructifera, cate- ræ tamen partes sufficerent, ut deductis impen- sis census integer solveretur, debeat adhuc integ- re solvi. In hoc puncto communis quidem est Theologorum sententia negativa, ac proinde vult hæc opinio, esse cum proportione diminu- endam pensionem. Vnde ultimus inferit Lugo n. 104. si aliqua pars prædii non sit penitus infructifera reddita in perpetuum, minus tamen fac- unda in perpetuum, ita ut fructus, qui ex illa percipiuntur, non sufficiant deductis expensis ad partem illam pensionis solvendam, quæ illi parti prædii pro rata responderet, non esse solven- dam integram pensionem, etiam si ex alia parte prædii uberioris, quam antè, fructus percipian- tur, sed ex parte secunda solvendam partem, quæ illi correspondebat, aliâ verò parte minus facun- dâ reddita, solvendum solum, quantum valere possunt fructus deductis expensis.

334. Cæterum, hæc communis doctrina non est ita fundata, ut non potius in praxi con- trarium teneudum sit, ob decisionem Rotæ Roma- næ 30. Octob. 1602. in qua definitur, redditus integros solvendos ex parte prædii remanente, si ejus fructus sufficiant, secus, si non sufficiant, & de hoc intelligendæ Bullam; quam Responsio- nem Rotæ accepit Summus Pontifex. Nec difficile est ad fundamentum contrariæ senten- tiæ respondere.

Argumentatur ergo Lugo hoc modo. Cens- sus fuit realis obligatio totius prædii, quæ obli- gatio coextenditur ipsi prædio, ita ut sit tota in toto, & pars in parte: ergo percunte parte prædii perit pars illa obligationis, quæ ei parti ad- hærebat. In antecedente peti principium, & supponi quod esset probandum, quare illud negatur, & potius supponitur, consuetum esse censum totum in toto, & totum in qualibet parte; & hoc ad præscindendam materiam infinita- rum litium, quæ nascerentur, si illa proportio esset observanda.

Vnde etiam negandum est, quòd idem au- ctor tradit n. 105. nempe, si, quando census con- stitutus fuit super aliquo prædio, & altera pars prædii fuit facundior alia, non intelligi divisam æqualiter obligationem pensionis in utraque parte, sed majorem partem pensionis constitui super parte facundâ, & minorem super parte mi- nus facundâ, juxta proportionem majoris, vel minoris facunditatis, quam singule habent. Hoc inquam

inquam, negandum est, & contrarium supponit Rota Romana, quia censetur census indivisibiliter constitutus supra totam rem, ita ut unus facultatis servire possit ad supplendum defectum alterius.

355. Hinc contra eundem Cardin. infero cum P. Molina d. 391. n. 3. Navarr. & Lessio. quod si fundus censualis divideretur inter plures Dominos, sive per venditionem, sive per successionem, quod inquam Censualista possit ad singulis exigere censum totum, vel quantum fructus patetur demptis expensis: quia census est impositus totus singulis partibus.

Neque quidquam difficultatis habet, quod objicit Lugo, nempe ex terminis ipsis manifestè absurdum apparere quod si emas particulam fundi magni, quæ valeat 100. aureos, eo ipso assumas tibi obligationem solvendi 2000. aureos annuos pro pensione censu, cui totus fundus subiectus erat. Ad hoc negatur suppositum, quod particula fundi possit vendi, quando habet tale onus, vi cuius excederet tale pretium. Itaque ratione talis oneris, attentio simul regressu quem haberet emptor contra venditorem, si ipse solveret totum censum, deberet temperari pretium, & hoc factio cessat tota absurditas, & admittabilitas.

Instantia, quam affert Lugo, quod nempe singuli heredes non possunt a creditore ratione mutui dari defuncto in solidum conveniri, non est ad rem, quia est merum Ius personale, quod dividitur inter heredes partiales; nosster autem casus fundatur in Iure reali, afficiente indivisibilitate totum fundum.

356. QUÆRITUR 3. Si res censui subiecta pereat aut infructuosa fiat culpa debitoris seu venditoris, quid juris competat Censualista. Doctores diversimodè respondent, sed distinctione, quâ utitur Lugo, conciliari possunt. Si enim census est redimibilis, potest uti Iure suo debitor, & pretium restituere, sed interea tenetur ad pensiones solvendas, quia tenetur ad damnam emergens & lucrum cessans ex sua culpa causatum. Si verò census est irredimibilis, non tenebitur Creditor lasus acceptare pretium, sed potius tenebitur debitor actione de dolo, vel in factum ad solutiones pensionum, perinde ac si respon perisset; poterit tamen constituere censum in alia re æque frugifera, & estimabili.

357. QUÆRITUR 4. Si res censui subiecta pereat quidem, v. g. domus corruat, sed deinde alia in eadem area, imò ex eisdem lapidibus ædificetur, an sit censui subiecta. 32. Negativè, quia juridicè est, alia domus, cui proinde nunquam census impositus fuit: arg. legis 83. §. ff. de V. O. ibi prope finem. [Et navis si hac mente resoluta est, ut in alium usum tabule destinaretur, licet mutato consilio perficiatur, tamen & perempta prior navis, & hæc alia dicenda est. Sed si reficiendæ navis causâ om-

nestabula refixæ sint, nondum intercidisse navis videtur, & compolitis rursum eadem esse incipit: sicuti de ædibus deposita tigna eâ mente ut reponantur, ædium sunt: sed si usque ad arcam deposita sit, licet eadem materia restituaatur, alia erit.]

§ VI.

Census debet esse eodem pretio redimibilis, præviâ denuntiatione, quâ factâ potest cogi ad redimendum.

S U M M A R I U M.

*S*exta conditio redimibilitas eodem pretio, que non est de Iure naturæ. 338.

An Pontifex constituerit, ut deinceps nullus census irredimibilis valeat. 339. & seqq.

An emptor sit obligatus acceptare redemptiones partiales. 344.

Quid si res perveniat ab uno ad plures, an unus absque altero possit redimere. 345.

Quomodo debeat venditor bimestri ante extinctionem denuntiare. 346.

An elapso bimestri possit emptor cogere venditorem ad redimendum. 347.

338. **L**egenda sunt verba Bullæ sup. relata. in quibus sit venditori potestas redimendi censu eodem quo emptus est pretio, non obstante quacunque etiam 100. annorum præscriptione aut pacto contrario: ita tamen ut Censualius denuntiet redemptionem faciendam creditori duobus mensibus antequam fiat redemptio: & hoc utique in favorem Censualistæ, ut possit citius percipere de modo collocandi iterum pecuniam, ut fructificet. Quia verò hæc redimendi potestatem possent Censualii abuti, terendo Creditorem simulatâ redemptione, ut minuatur pensionem, inde factâ denuntiatione datur creditori potestas cogendi post duos menses, & intra annum debitorem ad redimendum. Quod non coëgit, reditorem res ad priorem statum, ut iterum possit factâ denuntiatione redimi, non factâ verò redemptione cogi, &c.

Porro, hæc redimibilitas non est de essentia huius contractus, considerati præcisè secundum Ius naturæ. Possent enim, seclusâ lege positivâ constitui census omnino irredimibilis, ut fatentur DD. sicut alia res emuntur exclusio omni Iure redimendi, dummodo pretium sit iustum. Vnde non video, quo fundamento Covarruvias & Molinaus dixerint, non valiturum, etiam de Iure naturæ, pactum de non redimendo ante decennium, item de non amplius redimendo post decennium. Cùm enim hæc esset irredimibilitas temporanea & limitata, a fortiori liceret Iure

Iure naturæ; si liceret perpetua. Certè alias res cum tali pacto emi posse, constat ex cap. 25. Levitic. [Qui vendiderit domum intra urbis muros, habebit licentiam redimendi, donec unus impleatur annus: si non redemerit, & anni circulus fuerit evolutus, emptor possidebit eam & posterius eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in Jubilæo.]

339. **D**UBITATUR tamen, & admodum controversatur, utrum Pontifex dum statuit, ut omnes census redimi possint eodem pretio, &c. voluerit omnes census deinceps debere constitui redimibiles, adeoque ubi Bulla est recepta, census irredimibiles essent invalidi. Negat Navarrus, quem sequitur P. Molina & Salas *duob. 12. n. 4. & Castro Palao n. 23.* Hi ergo Auctores contendunt, verba Pontificis ita intelligenda esse, ut solum loquatur de censibus redimibilibus constitutis, et nempe isti redimi possint eodem pretio, ita ut non liceat pretium augere.

Huic etiam sententiæ favet Lessius n. 92. dicens. [in Bulla rejici census irredimibiles non quidem omnes, (juxta Navar. n. 98.) sed eos, qui non emuntur multo plus quam redimibiles: hi enim sunt iniqui, qui verò iusto pretio emuntur, cùm per totum orbem Christianum sint receptissimi, pro iustam episcopiam possunt excipi, ut ibidem rectè docet Nav. non enim credibile est, Pontificem tam generalibus verbis, tam obiter census tam receptos velle tollere: præsertim cùm in illis cesset omnis præsumptio usuræ.]

340. **A**ffirmativa tamen, in prædictis Bullæ verbis, est verior, eamque tenet Rebellus, Bonacina, & Lugo. [Agit enim Pontifex (ait Lugo) universaliter de omnibus censibus impolierum creandis, & hos omnes dicit tales debere esse, ut possint semper à venditore eodem pretio redimi, non obstante quolibet pacto, quo sibi ejusmodi facultatem auferat. Cum ergo in censu irredimibili adit pactum expressum, quo ejusmodi facultas redimendi directè auferatur, consequens est, ut tale pactum omnino prohibeatur sit.]

341. **U**lterius Lugo conatur evincere Conclusionem argumento ad hominem contra Molinam & Lessium, qui admittunt, aliquas conditiones in Bulla positas etiam esse extendendas ad census irredimibiles, & hoc, ob generalitatem verborum: v. g. ne exigantur solutiones anticipatæ, ne re venditâ exigatur laudemium, ne augeatur census ex pensionibus non solutis, &c. Cùm ergo, (inset Lugo) eadem universalitate Pontifex prohibear pacta non redimendi, hæc etiam prohibito extendatur ad omnes census creandos, imò magis ad irredimibiles, qui magis directè huic clausulæ adversantur.

Hæc tamen consequentia negari potest ex fundamento adversariorum, quia in his omni-

bus conditionibus subest periculum usuræ, non item in constitutione census irredimibilis, quin potius in censu redimibili subest periculum usuræ. Huic ergo adversariorum fundamento clarificandum est, & tunc verba Bullæ in Latino & proprio sensu accipienda.

342. **O**bjiciunt ergo adversarii. In erectione census irredimibilis nullum periculum usuræ intercessit sicut in redimibili. Deinde antecessores Martinus V. & Calixtus III. nihil statuerunt circa census irredimibiles: atqui Pius V. illis solis censibus formam præscribere voluisse videtur, de quibus antecessores locuti sunt. Denique Pontifex solum loquitur de illis censibus, contra quos iusta querimoniam depositæ fuerunt: atqui contra Irredimibiles nullâ depositæ esse videntur.

Respondeo, & quead primum retorqueo argumentum ad hominem à adversariis, qui docent, Pontificem prohibuisse, ne pactum adiciatur, ut census post decennium non redimatur. Quæro, an in tali irredimibilitate nullum subest periculum palliandi usuram? si nullum subest? cur ergo prohibetur? si subest? ergo multo magis potest subesse in censu penitus irredimibili, quia pensiones possunt esse tam frequentes, & facile sperabiles, ut denique multoties superent pretium solutum. Vel quamcunque aliam assignaverint causam aut periculum usuræ adversarii, eandem & nos assignabimus. Deinde potuit Pontifex voluisse abesse à venditoribus gravissimum onus nunquam redimendi censum, & manendi perpetuum debitorem.

343. **A**d 2. respondetur, illos Pontifices locutos fuisse de censibus, de quibus interrogabantur, qui fuerunt redimibiles; Pius V. autem egit universaliter de omnibus, ut patet ex verbis Bullæ.

Ad 3. ex Bulla potius colligi, quoddam etiam de irredimibili censu fuerint querelæ mortæ: nam prohibetur, ne vel ex culpa debitoris, & in penam transeat census in irredimibiles: ergo à fortiori poterant esse querelæ de irredimibilitate absque ulla culpa, quia est utique gravissima servitus, nunquam posse in libertatem restitui.

344. **D**UBITATUR 2. An emptor sit obligatus acceptare redemptiones partiales solutione partiali & successivâ pretii: vel an possit venditor obligari ad non redimendum partialem. Aliqui hoc posterius negantur, quos referunt & sequuntur Dicalillo & Palao. Sed est concedendum, postea ad hoc obligari, nec emptorem teneri ad acceptandum: quia in Bulla non reprobatum tale pactum, quod non est contra naturam huius contractus, sed potius juxta eius naturam, ut emptor non teneatur acceptare partiales redemptiones, quamvis, si velit

possit se obligare ad acceptandas; & ita cum aliis tenet Lugo.

Confirmatur. Nam esto, secundum multos, creditores alii teneantur etiam partiales solutionibus debitoris acceptare (quod tamen alii negant, de quo alibi actum est) attamen, quando non solvitur debitor (sicut redemptio census non est solutio debiti) sed sit pactum de retrovendendo, hoc pacto non obligatur emptor ad retrovendendam partialem rem emptam, sed vel nihil, vel tota est redimenda. Ergo idem in redemptione census observabitur: quia non minus grave esset censuaria, si pars census extingueretur, ac si pars fundi vel gregis esset retrovendenda.

Confirmat hoc optime Lugo exemplo pignoris accepti, v. g. duorum poculorum auctorem pro debito pecuniario: ubi non potest cogi, ut permittatur debitor luere unum poculum soluto partialiter debito, quia utrumque poculum est indivisibiliter oppignoratum pro qualibet parte debiti. Ex hac autem instantia potest confirmari id quod supra contra hunc ipsum auctorem dixi, censum esse indivisibiliter constitutum supra quavis parte rei censuaria, ita ut una perente, si residuum ferre fructus sufficientes, adhuc debeat totus census, prout decimum est à Rota Romana.

Obijciunt adversarii ad probandum, quod debeat esse licitum ex natura rei redimere partem census. Quia aliqui frequenter evadent in effectu census irredimibilis ex redimibili manente eodem pretio, nempe quia censuarii, sunt sæpè pauperes, ut non possint totam pretii summam simul refundere, possent autem per partes. Respondet egregie Card. de Lugo, non esse pretia rerum taxanda ex circumstantiis personarum emptoris aut venditoris: alioquin census redimibilis esset majori pretio emendus à paupere quam à divite, quia ibi est minor probabilitas future redemptionis.

345. Petes. Quid sit census subiecta perveniat ab uno ad plures, v. g. duos heredes: an tunc unus illorum absque altero possit redimere partem census sibi solvendam. Affirmat Lugo, quia, ut supra vidimus, ille tenet, quod tunc neuter possit in solidum conveniri. Ego tamen consequenter nego, & pro fundamento negandi utor instantia pignoris ab ipso Lugone allata. Non enim est integrum uni heredi partem pignoris luere, solvendo partem debiti sibi solvendam.

346. DUBITATUR 2. Quomodo sit intelligendum, quod venditor debeat bimestri ante extinctionem census denuntiare: an possit quocumque illius bimestris die cogi censuaria ad acceptandum pretium, & extinguendum censum. Affirmat P. Molina, colligens ex verbis Bullæ. [Vbi pretium neque volens intra bimestre solvat.] Negandum tamen est cum Salas &

Palao, & Lugo. Quia, ut dictum est, bimestre indulgetur in favorem censuariae, ut possit circumspicere de modo collocandi fructum: est pretium: ergo conceditur illi bimestre, ad interim fruendum censu. Probatur consequentia. Si enim debitor posset pro arbitrio statim sequei post denuntiationem die extinguere censum in viro creditore, non esset opus denuntiatione duobus mensibus precedente, posset enim precedente die denuntiare, & statim extinguere.

347. DUBITATUR tamen 4. An, sicut creditor seu censuaria non tenetur ante elapsum bimestre acceptare pretium, & extinguere censum, sic etiam non possit nisi post elapsum bimestre per reliquos decem menses cogere venditor em ad extinguendum censum; vel an etiam intra bimestre possit cogere venditor ad extinguendum censum. Hoc posterius probabiliter defendit Lugo in fine sect. 8. & satis bene colligit ex verbis Bullæ. [Et post denuntiationem intra annum etiam ab invito pretium repeti posse.] quibus verbis conceditur potestas cogendi ad extinctionem non solum per decem menses post elapsum bimestre, sed plane per annum post denuntiationem factam. Ergo etiam intra bimestre immediatum. Ergo licet censuaria non possit intra bimestre cogi, ut dictum dub. preced. potest tamen, facta denuntiatione, ipse cogere censuarium. Rationem differentie declarat idem Cardinalis. Quia cum debitor ex se denuntiat, jam supponitur esse paratus, & habere unde solvat, & ideo non erat necesse indulgere illi ulterius tempus, quo non possit cogi ad solvendam: creditor autem, cui denuntiat, non est paratus, & ideo conceditur ei bimestre, quo possit preparare, & quaerere, ac cogitare, quid pretio illo possit comparare.

§. VII.

Non valet pactum redimendi in favorem emptoris adjectum.

SUMMARIUM.

Septima conditio ne fiat pactum redimendi in favorem emptoris. 348.

An prohibeatur pactum, ut morosus debitor possit in penam cogi ad redimendum. 349.

348. **N**on, inquam, valet pactum, quo obligetur venditor redimere, quando voluerit emptor, invito debitore. Ratio prohibendi erat manifestum vitare periculum, nempe recipiendi pretium, & in super habendi pensiones jam solutas. Quod si pensiones vellet computare in partem pretii, tale pactum non effect

set contra verba Bullæ, & esset potius instauratum.

349. DUBITATUR, an etiam prohibeatur pactum, ut morosus debitor in solvendis pensionibus possit in penam cogi ad extinguendum censum. Respondetur quamvis tale pactum non esset contra ius naturæ, prohibitum tamen esse etiam illis verbis: *aut ob penam.*

§. VIII.

Referuntur in compendio Conditiones, & Clausula Bullæ Pii V.

SUMMARIUM.

Referuntur undecim Clausulae & Conditiones in Bulla contentæ. 350.

Hæc clausula difficilioribus explanatur, præteritis quibusdam facilitioribus nunc omnium summam adijcere placeat.

Prima Clausula, seu Condicio. Censum non instituitur nisi super re immobilis sui naturæ, seu æquivalente, frugifera & certis finibus designata.

Secunda. Non celebretur nisi numerata pecunia in actu celebrationis instrumenti coram Notario & Testibus.

Tertia. Ne pensiones anticipatæ deducantur in pactum.

Quarta. Ne Venditor census obligetur ad casus fortuitos, vel ad alia onera, ad quæ ex natura contractus non tenetur.

Quinta. Ne fiat pactum restringens libertatem censuarii, alienandi rem censui subiectam, & ne fiat pactum solvendi censitori laudemium.

Sexta. Ut dominus rei censite volens eam vendere, admoneat Censuaria, ut possit, si vult, eam emere eodem pretio, cumque aliis præferat. Eo tamen recusante emere, poterit Censuarius tui vel pluribus rem etiam divisam vendere, translato onere in emptores. Quibus non solvitur pensionem, non tenetur venditor solvere.

Septima. Non valet pactum, quod Censuarius morosus teneatur ad esse lucri cessantis, vel ad aliam penam, vel ad amitendam rem censitam, vel ad expensas.

Octava. Non potest argeri census constitutus ex pensionibus jam debitis, non solutis.

Nona. Semper liberum esse debet Censuario redimere censum, quando voluerit, refuso eodem pretio quo vendiderat, non obstante quocumque pacto aut temporis lapsu, præmonito tamen censuaria duobus mensibus antè, ut supra explicatum est, à quo

tempore potest per annum cogi ad redimendum.

Decima. Censuarius non est cogendus absolute ad redimendum censum, nisi in casu iam relato.

Vndecima. Pretium census semel constitutus, non potest augeri vel minui ob circumstantias supervenientes, de quo tamen supra dictum est, quomodo sit intelligendum.

§. IX.

Expediuntur plura dubia ad hanc materiam spectantia.

SUMMARIUM.

AN deficiente aliqua conditione totus contractus sit nullus. 351.

Quomodo se extendant verba Bullæ: à sicut volumus vindicari. 352.

An venditor habens ius redimendi censum, possit obligari ad redimendum censum eadem moneta in specie. 353. & seqq.

An tale pactum sit in Bulla prohibitum specialiter. 356.

An in bonis pupilli aut minoris possit constitui census absque decreto Iudicis. 357.

An Emphyteuta vel Vallus possit constituere censum in emphyteuti vel fundo in jure domino. 358.

An maritus possit in fundo dotali creare censum conjugatum. 359.

An dominus proprietatis possit censum constituere in re frugifera, in qua alius habet usum fructuum. 360.

An valeat pactum, quo obligatur censuarius suis impensis pensionem in loco domicilii creditoris solvere attentà Bulla Pii V. 361.

An statim Bulla Pii V. possit emptor census evigere fidejussores. 362.

An, quando quis redimit censum intra annum, teneatur pensionem illius anni solvere. 363.

An si Censuaria censum oppignoravit alicui suo creditori, & Censuarius velit redimere censum, teneatur de sua intentione monere creditorem cui census oppignoratus est. 364.

An ab illo censuaria, qui sine decreto Iudicis non potest bona alienare, possit census redimi absque Iudicis auctoritate. 365.

An census dotalis redimi possit à Marito. 366.

An ad extinguendum, vel sistendum, sufficiat realit oblatio, non acceptata absque iusta causa. 367.

Quæ conditiones requirantur ad sistendum censum pensionum. eod.

An & quomodo censuaria in re censita præferantur aliis creditoribus. 368.

351. **DUBITATUR 1.** An deficiente aliqua conditione requirita, totus contractus sit nullus, vel solum sit nullus, in quantum opponitur conditioni requisita, v. g. si minore pretio sit emptus census. Aliqui, quos refert & sequitur Palao p. 22. §. 3. hoc posterius affirmant. Sed verius & Bulla conformius est, esse contractum penitus nullum, ut docent Salas, Molina, Lugo, ob hanc Bulla verba. [Contractus sub alia forma celebrandos fœneratios iudicamus.]

352. **DUBITATUR 2.** Quousque se extendant illa Bulla verba. [Quidquid contra hæc mandata dari, aut dimitti contingat, à fisco volumus posse vindicari.] &c. His verbis non comprehendit ipsum pretium venditori solum, (ut volebat P. Molina d. 392.) sed ea solum, quæ per donationem aut remissionem ledens acquirere à fisco, cum acquirere prohibeatur: atqui per pretii solutionem venditor non leditur: sed leditur acceptione pensionum quando contractus non est legitime celebratus. hæc ælia familia, v. g. si quid de pretio remitteret, si laudemium aut penam solveret, &c. tunc possunt à fisco vindicari, quando lapsa sponte & non iniuris condonat: quod si nec sitrate adactus solveret, vellè que sibi restitui, fisco preferendus esset.

353. **DUBITATUR 3.** Utrum Venditor habens jus redimendi censum, possit obligari ad redimendum censum non solum eodem pretio, sed eadem monetâ in specie. Casus iste propositus fuit Romæ Cardinali de Lugo, dum adhuc Theologiam cathedram in Romano Collegio moderaretur. Eundem casum disputavit Augustinus Ubaldinus Congr. Somaschi Theologus, in opusculo, cui titulus: Sacra consultatio, quem honoris ergo nominare speciali ex causa debeo, quandoquidem in publica Philosophia disputatione me impignare dignatus est, & tunc temporis inter prima Theologorum capita ab ipso Lugone est numeratus.

354. Loquendo de iure naturæ respondit Lugo, pactum illud esse licitum, si æquale sit periculum decrementi, aut incrementi valoris futuri, & æstimationis in tali specie monetæ.

355. Controversia tamen, & aliqua dissentio erat in eo, an ratione huius oneris & gravaminis quod venditori imponitur, ut in eadem specie monetæ redimat, sit æquandum etiam pretium quo emittitur census. Affirmat Lugo & probat, quia de iure naturæ pretium iustum census majus esse debet in censu irredimibili, quam in redimibili, ut omnes fatentur, & in Praxi observatur ut ferè duplo majus solvatur: ergo quo redditur redimibilitas difficultior, etiam debet augeri pretium, quia magis accedit ad ir-

redimibilitatem: atque in illis circumstantiis, in quibus propter incrementum valoris futuri in tali specie monetæ, prævidetur difficultius redimendum esse censum eadem summâ talis monetæ toto tempore sequenti, census est simpliciter & absolute minus redimibilis, quam esset, si tale incrementum & difficultas ex eo orta non prævidetur: ergo in iis circumstantiis propter minorem illam redimibilitatem prævisam, valor census crescere debet super id quod valeret, si redimibilis ex nullo capite difficultior esset.

Contrarium speculative loquendo verius putat P. Ubaldinus §. 70. Itaque contra Lugonem,

Objicit 1. Onus illud redimendi cum eadem quantitate, & in eadem specie monetæ non est censum novum, sed intrinsecum ipsi contractui, nam de rigore iustitiæ debet venditor si velit censum redimere, reddere eandem speciem & summam monetæ intrinsecè invariantem, quoties illa in tali summâ & specie pro pretio iusto census data & constituta fuit. Quod enim creditores soleant aliquando pretium in alia specie monetæ recipere, id ex ipsorum gratia provenit, cum ex iustitiâ possent eandem monetæ speciem exigere. Respondet Card. de Lugo n. 139. pretium non esse augendum propter novum onus quod imponatur præter naturam contractus, sed quia illud idem onus redimendi eadem summâ & specie monetæ, etiam in aliis censibus implicite subintelligitur, in his tamen circumstantiis, & prævisio augmento valoris in Ducatis facit censum meliorem & majoris valoris, eò quod reddat illum minus redimibilem, quam sine vobis uniter alii census, & ideo valentem plus quam valeant alii in aliis circumstantiis, sicut ex hoc ipso capite possit Emptor censum carius alteri vendere.

Objicit 2. Pactum de non redimendo censu per partes, sed in integro pretio, non impedit quominus possit census pretio ordinario emi, licet alii census ex consuetudine per partes redimi possent, & tamen hoc est onus reddens censum difficultius redimibilem, ergo idem dici potest de pacto, de quo est disputatio. Ad hoc respondet Lugo, negando antecedens, quia etiam debet Emptor in pretio ascendere, licet minus quam ob pactum de redimendo eadem monetæ specie.

356. Loquendo nunc de iure positivo. Bulla Pij V. fatetur Lugo, quod tale pactum non sit in Bulla specialiter prohibitum, quia solum statuitur, ut venditor semper possit redimere censum eodem pretio quo vendiderat. Identitas autem pretii potest dupliciter considerari, nempe vel eodem pretio formaliter quoad æstimationem, ita ut si census emptus sit 1000. Ducatis, quorum singuli æstimabatur tunc libris sex, reddi debeant tot Ducati, quot postea sufficiant ad æstimationem tot librarum (sive apud nos floren-

renorum Rhenensium) quot antea respondebant 1000. Ducatis. vel potest considerari identitas pretii quoad valorem intrinsecum, ita ut debeant reddi totidem 1000. ducati ejusdem bonitatis quoad pondus & perfectionem auri, & quoad sigillum (v. g. Ziggini) & hoc secundo modo magis servatur identitas pretii accepti & redditi, quia ille alius valor respectivus est magis extrinsecus & accidentaliter, delumptus ex variis circumstantiis extrinsecis.

Ambo prædicti AA. ulterius concedunt, non fore contra ius naturæ nec contra Bullam, pactum solvendi pensiones in ea monetæ specie, quæ census emptus est. (imò addo, in eadem specie monetæ alia, quam in qua emptus est census.) & quidem hoc ideo licet, quia æstimabitur instar fructus: dummodo pretium sit iustum: ergo cum sit licitus census fructuarius, non apparet, cur non possit constitui in hoc fructu, ut monetâ talis speciei sit pensio solvenda.

357. **DUBITATUR 4.** An in bonis Pupilli aut Minoris possit constitui census absque Iudicis decreto, solâ Tutoris aut Curatoris auctoritate. Affirmat Gasp. Rodrig. lib. 1. de ann. reddit. q. 12. a. n. 17. Sed nobis negandum est, loquendo de censu perpetuo, etiam redimibili, quia ut supra dictum est, computatur inter immobilia, & ideo census supra censum constitui potest. atqui que huiusmodi sunt, non possunt absque Iudicis decreto alienari: Ius autem percipiendi fructus alienatur. Ergo Adversarius falso niitur fundamento, quasi census redimibilis non sit perpetuus, cum reverâ ex se sit perpetuus, h. e. non ad certum tempus creatus, sed quamdiu placuerit venditori.

358. **DUBITATUR 5.** An Emphyteuta vel Vasallus possit constituere censum in re Emphyteutica vel Feudo, in scio Domino. Negat Corbulus: de ea. privat. ob alien. amp. 49. Communis tamen & vera opinio affirmat, id fieri posse ad tempus quo duratura est Emphyteusis, aut Feudum, & constituendo censum consignatum, non reservativum, ad hunc enim requiretur alienatio Feudi, aut Emphyteusis. Conclusio probatur. Quia constituendo talem censum non alienatur ipsa res Emphyteutica, sed ius percipiendi fructus usque ad certam pensionem, & ideo Emphyteuta & Vasallus retinet dominium utile. Vnde iterum confirmari potest id quod supra dixi contra Lugonem, quod Constitutio census realis in re sua non sit translatio domini utilitatis, sed iuris in re, in remanente dominio (sive directo sive utili) penes Censuarium sicut antè fuit. Imò de usufructuarius potest in re usufructuaria censum ad tempus vite sue constituere: quia potest ius suum colligendi fructus reâ alienare, ut sit obligatus alteri pensiones solvere, quamdiu ipse non amittit usufructum; itaque in hoc casu non alienatur usufructum, quia verè

manet usufructuarius, & ad eum pertinet quidquid fructuum ultra pensiones fertur, & si uno altero ve anno fructus non adæquant pensionem, aliunde supplere debet, ut supra dictum.

Idem dicitur de eo qui habet Ius Habitationis, ut est Servitus Personalis, non item qui habet solum usus, ut constat ex natura huius servitutis explicata 10. 1. n. 5.

359. **DUBITATUR 6.** An maritus possit in fundo dotali creare censum consignativum. Resolutio pendet ex dictis de dominio dotis 10. 1. n. 4. Et quidem si fundus non fuit æstimatus æstimatione faciente venditionem, ita ut dominium naturale manserit penes uxorem, non potest maritus absque consensu uxoris (imò cum iuramento) constituere censum, quia solum dominium civile & ius administrandi, & inde onera matrimonii sustentandi, non sufficit, ad præcedendas sibi vires datas ab uxore ad sustinenda onera matrimonii. Si verò æstimatio fecit emptorem, & maritus sit solvendo, census contra Avendannum, quem refert, & sequitur Palao disp. 6. p. 23. §. 7. n. 8. postetiam in scio uxore constituere in tali fundo censum perpetuum, qui duret etiam soluto matrimonio, saltem si dissolvatur per mortem uxoris: nam uxoris hereditas facit solutionem & æstimationem. An autem idem dicendum sit, si dissolvatur morte mariti, pendet ex eo, an tunc uxor possit res dotales vindicare, ut putat cum aliis Palao, alii autem negant, si maritus sit solvendo, de quo alibi dictum.

360. **DUBITATUR 7.** An Dominus proprietarius possit censum constituere in re frugifera, in qua alius habet usum fructum. Negativè: nam quando requiritur, ut res censita sit fructifera, non est intelligendum merè materialiter & absolute, sed formaliter & respectivè, hoc est, debet fructificare Censuario, atqui in casu dubii standus non fructificat Censuario, id est, Domino proprietatis.

361. **DUBITATUR 8.** An valeat pactum, quo obligatur Censuarium suis impensis pensionem, in loco ubi Constituta domicilium habet, solvere, eoque deferre, attentâ Bullâ Pij V. (nam ex natura Iure non est iniquum, dummodo pretio compensentur.) Affirmat valere Eman. Rodrig. dab. ut. Sed communiter & verius alii omnes negant valere, & dicunt à Pontificio reprobari, quia hoc pactum non est ex natura contractus venditionis.

362. **DUBITATUR 9.** An stantè Bullâ Pij V. possit Emptor census exigere fidei iussores. Negantur aliqui. Sed communis & vera sententia affirmat, non quidem ad hoc, ut reperirentur ad huc pensiones solvenda: sine, tunc enim census extinguitur; sed, ut teneantur de evictione, & si debitor sit morosus in solvendis pensionibus: nam hæc affectuatio communiter in contractibus adhibetur.

363. DUBITATUR 10. An quando quis redimit censum intra annum, teneatur nihilominus pensiones illius anni solvere, si alioquin ex conventionem vel consuetudine solvenda sunt in fine anni. Prima sententia est, obligatum esse redimentem totius anni pensionem solvere. Ratio horum est, quia esto non possit pensio exigi ante finem anni, debetur tamen statim ab initio anni. Verum, hoc fundamentum est salium, revera enim non debentur pensiones nisi pro rata temporis elapsi.

Secunda sententia est, nihil penitus pensionis illius anni deberi. Ratio hujus sententiae est, quia ante finem anni non debentur. Ergo si ante finem anni extinguatur census, nulla debetur pensio. Ad hoc tamen facile respondetur, quod ex conventionem contrahentium solutio actualis non debetur ante finem anni: revera tamen debitum solvendi contrahatur secundum lapsum temporis.

Tertia ergo & vera sententia est, obligatum esse Censuarium redimentem simul cum pretio, quo redimit, solvere quotam pensionis, respondentem tempori elapso. Ita communis sententia, quam alii relatis sequitur. Palao p. 27. §. 4. Ratio est, quia Censuarium debet pensiones ob Interfuturum pecuniam ab Emptore accepta, atque Interfuturum dividitur pro rata temporis, ut dictum est de Usuris; ergo & pensio.

Obijciunt. Pensiones sunt intra lapsum anni instar fructuum pendendum: ergo si annus non est elapsus, non debentur. R. Illos fructus potius censeri decidere una cum temporis lapsu.

364. DUBITATUR 11. An si Censualista censum oppignoratit alicui suo creditori, & Censuarium velit redimere censum, teneatur de sua intentione monere creditorem, cui census oppignoratus est. R. Cum distinctione. Si creditor ille de sua hypotheca Censuarium certiorasset, & petiisset, ne ipsis non moriturus redimeret censum, & hypothecae instrumenta exhibuissent, deberet creditorem monere, alioquin de dolo teneretur: quod tamen intelligi, si sine gravi suo incommodo possit monere: nam in hunc casum neque consensit, neque a creditore obligari potest. Si vero non est a creditore monitus, aut requisitus, non tenetur monere creditorem, non enim apparet titulus hujus obligationis. Colligunt haec DD. ex lege 5. C. quae res pign. obligari poss. ubi tunc solum debitor compellitur ad solvendum habenti hypothecam, si prius suo creditori non satisfecit. [Nomen quoque debitoris pignoriari & generaliter & specialiter posse, jam pridem placuit. Quare si is debitor non satisfecerit, cui tu credidisti, illo cuius nomen tibi pignori datum est, nisi ei cui debuit, solvi, nondum certior a te de obligatione tua factus, utilis actionibus satis tibi facere, usque ad id, quod tibi deberi a creditore eius probaveris, compellatur, quatenus tamen ipse debet.]

365. DUBITATUR 12. An ab illo Censualista, qui sine decreto Iudicis non potest bona sua alienare, ut est Minorennis, possit census redimi absque Iudicis auctoritate. Ratio dubitandi est, quia per huiusmodi redemptionem videtur Censualista alienare Ius Censuarium, quod inter immobilia computatur, ut supra dictum. Ergo sicut non potest sine Iudicis auctoritate Census constitui in bonis Minoris, ita nec videtur posse census constituitur extingui sine ejusdem Iudicis auctoritate. Et ita ob hanc rationem sentit Felicianus, requirens easdem solemnitates ad extinguendum censum, quae requiruntur ad constituendum. Sed contrarium omnino dicendum est; quia extinctio census non est proprie alienatio, quae alteri aliquid ex patrimonio minoris conferatur, & non est voluntaria, nisi Censuarium, Censualiste vero est necessaria, & ex ipso Iure proveniens, nec a Censualista impedibilis: ergo non est necesse intervenire solemnitates cateroquin ad alienationem requisitas, arg. legis 13. ff. fam. etc. [Alienationes enim post Iudicium acceptum interdicitur sunt duntaxat voluntarie, non quae vetustiore causam, & originem Iuris habent necessariam.]

Confirmatur ex lege 1. C. quando decreto non est opus. [Si probare potes, patrem pupilli, cuius tutores convenisti, consensisse, ut reddito tibi praedio pretium reciperet: id quod convenit, servabitur. Neque enim in ea re auctoritas Praesidis necessaria est, ut tutorum sollicitudini consulatur, si voluntati defuncti pareant.] Et lege 15. §. fin. ff. de Re iudic. ibi. [Hoc amplius, & si pupillaris pecunia in arcam reposita sit ad praediorum comparationem, & citra permissum praetoris ab eo qui exequitur iudicatum, solet capi, & in causam iudicari converti.]

Haec itaque tamen vera sint, & quod tali redemptione Censualium liberetur, consultiimum tamen & securissimum est Censuarium; si redimet a Minorere censum adhibita Iudicis auctoritate, tam enim ita liberabitur, ut etiam si pretium minori solutum non esset in utilitatem minoris expensum, sed inutiliter, non restitueretur in integrum minor, quem admodum restitueretur, si minus utiliter expenderetur, & non intercessisset Iudicis decretum, tunc enim, ut dixi, restitueretur, non quidem ad Ius Censuale, sed ad pretium iterum solvendum. Colligitur hoc ex §. 2. in medio. Inst. quib. alien. licet. ibi. [Dispositum est, ita licere Tutori, vel Curatori debitorum pupillarem solvere, ne prius iudicialis sententia sine omni damno celebrata hoc permittat: quo subsecuto, si Iudex pronuntia verit, & debitor solverit, sequatur huiusmodi solutionem plenissima securitas. Sin autem aliter, quam dispositum, solutio facta fuerit, pecuniam autem salvam habeat pupillus, aut ex ea locupletior sit, & adhuc eandem pecuniam summam petat, per

exce-

exceptionem doli mali poterit summoveeri. Quod si male consumperit, aut furto, aut vi amiserit, nihil proderit debitori doli mali exceptio, sed nihilominus condemnabitur.]

366. DUBITATUR 13. An Census dotalis redimi possit a marito. R. Affirmative: quia maritus non acquirit potestatem impediendi redemptionem pro hoc quod censum accipiat in dotem: & quia evadit civiliter Dominus, & Administrator, potest, imo tenetur oblatum redemptionis pretium acceptare, & censum extinguere. Idem dicendum de Praelato Administratore bonorum Ecclesiae, & similibus, ut Administratore Fisci, aut Bonorum Civitatis, item de Executore testamenti, Curatore hereditatis jacens, &c.


367. DUBITATUR 14. An ad extinguendum censum, vel saltem ad sustinendum cursum pensionum, sufficit realis oblatio, si a Creditore absque iusta causa non acceptetur. R. Ad extinguendum censum non sufficit, sed etiam sententia Iudicis. Cursum tamen pensionum sistit, si facta protestatione pretium redemptionis apud Iudicem deponatur, vel apud Sequestrem, cui creditor debet solvere salarium: & ipsa fors cedit periculo ejusdem creditoris, arg. legis 72. ff. de solution. [Qui decem debet, si ea obtulerit creditori, & ille sine iusta causa ea accipere recusat, deinde debitor sine sua culpa perdidit, doli mali exceptione potest se tueri, quamquam aliquando interpellatus non solverit. Etenim non est aequum teneri pecuniam amissa: quia non teneretur, si creditor accipere voluisset.]

Mentochius tamen lib. 2. arbit. casu 232. a n. 20. aliquas conditiones requirit ad hoc ut sitatur cursum pensionum. 1. V: pecunia coram aestibus numeretur, arg. l. 1. §. 36. ff. Depositi. ibi. Promenda pecunia est, vel coram Praetore, vel intervenientibus honestis personis. 2. Si aliquae pensiones sunt exstantes, seu non solutae, una cum sorte seu pretio deponenda sunt, arg. leg. 2. C. Debitorum venditionem pignoris impedire non poss. Christ. Haun. de Just. Tom. 1 V.

se. [Debitoreis denuntiatio, qui creditori suo ne sibi rem pignori obligatam distrahat, vel his qui ab eo volunt comparare, denuntiat, ita demum efficitur, si universum tam sortis, quam usufructum offerat, debitum creditori.] 3. Depositum faciendum est auctoritate Iudicis Censualiste, si ejus copia haberi possit: si minus, coram honestis hominibus, & Notario ad hoc rogato. 4. Consignatio debet esse absoluta, & non conditionalis. Plures alias conditiones ponit Mentochius, sed ea ex alibi dictis, & per se facile intelliguntur requiri.

368. DUBITATUR 15. An, & quotusque Censualista in re censita praefertur alii creditoribus, si illa est alicui ex creditoribus applicanda, postquam Censualista debitis gravatus est, ut non sit solvendum. Distingendum est inter censum Reservativum, & Consignativum. In priore casu, si alii anteriores, aut magis privilegiati creditores velint illam rem recipere, & sibi appropriare cum suo onere solvendi pensiones, nihil obstat, quominus sint Censualista praefertendi, utpote cui sit non decedat. Si vero nolit esse Censualista, & appropriabitur Censualista, & solvetur census.

Loquendo de Creditore Censu consignativo, ille alii hypothecarius posterioribus praefertendus est non solum in sorte seu pretio, sed etiam in pensionibus cessis & cedendis, arg. l. 18. ff. qui potiores in pig. [Lucius Titius pecuniam mutuum dedit sub usuris, accepit pignori, & eidemque debitor Marvius sub isdem pignori pecuniam dedit, quaro an Titius non tantum sortis, & earum usufructum nomine, quae accesserunt antequam Marvius crederet, sed etiam earum quae postea accesserunt, prior esset? Respondit, Lucium Titium, in omne quod ei debetur, potiores esse.] Antiquioribus tamen hypothecariis creditoribus non praefertur, quia nullo Iure haec illi praelato concessa est. Et haec de Contractu Censu sufficient, in quo maxime Consuetudo horum attendenda est, ubi Bulla non est recepta.



 CAMP SOLLER

 Q 2

 CA.